AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 9v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ter esse coli censens quo nomine nuncupetur. dum eadem res in
telligatur. credo illius summitate deterritus. Nam quia nichil su
perius solent colere romani quam iouem. quod capitolium eorum satis
aperteque testatur. eumque regem omnium deorum arbitrantur. cum animaduer
teret iudeos summum dominum colere. nichil aliud potuit suspicari quam
iouem. Sed siue qui saturnum siue qui iouem dominum iudeorum putant. dicant
quando saturnus prohibere ausus est coli alterum deum. nec ipsum
iouem qui eum regno expulisse prohibetur patrem filius. Qui si tam po
tentior et uictor placuit cultoribus suis. saturnum uictum expul
sumque non colant. Sed neque istum coli iouis prohibuit. et quem uincere
potuit. dominum tamen esse permisit. Iste inquiunt fabule sunt. aut inter
pretande a sapientibus aut ridende. nos autem iouem colimus de quo
ait maro. iouis omnia plena. idem omnia uiuificantem spiritum. Merito
ergo et uarro iouem opinatus est coli a iudeis. quia dicit per prophetam.
Celum et terram ego impleo. Quid illud quod idem poeta dicit
ethera. quomodo accipiunt. Sic enim ait. Cum pater omnipotens
fecundis imbribus ether. coniugis in gremium lete descendit.
Etherem quippe non spiritum sed corpus esse dicit sublime. quo celum super aerem
distenditur. An poete conceditur nec secundum platonicos ut non
corpus sed spiritus. nec secundum stoycos loqui. ut corpus sit deus. Quid ergo in ca
pitolio colunt. si spiritum. si denique ipsum celum corporeum. Quid illic
facit scutum illud iouis quod appellant egyda. Nempe origo
nominis huius ita redditur. quia iouem a matre occultatum ca
pra nutriuit. An et hoc poete mentiuntur. Numquid et capi
tolia romanorum opera sunt poetarum. Quid sibi autem uult
ista non poetica sed plana inimica uarietas. deos secundum philoso
phos in libris querere. secundum poetas in templis adorare. Sed
numquid et ille homerus poeta fuit. qui et ipsum iouem et saturnum
patrem eius et plutonem atque neptunum fratres eius ita planissime